





~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-73. ———  
SIGNAT. cI<sup>o</sup>I<sup>o</sup>CCCXIII.





33  
AUXILIAN TE SAPIENTISSIMO RECTÆ RA-  
TIONIS DIRECTORE

*Διευξίδωv*

BIGAM

POSTERIOREM  
CONTROVERSIARUM  
CIRCA

ΟΡΟΛΟΓΙΑΝ LOGICAM  
DE  
TERMINIS COMPLEXIS.

*publico sistunt Examinis*

PRÆSES

M. HEINRICUS *Baumann*/

Torg. Alumn. Electoral.

ET

RESPONDENS

JOHANNES *Ritter*

Hainensis.

*Ad diem 22. Maij Anni M DC LVIII.*

*Horis Matutinis*

In Auditoriò Minori.

---

[WITTEBERGÆ

Ex Typographiâ Johannis *Borckardi*.



12

OPUSCULUM

DE

REPUBLICA

P  
2





I. N. J.  
PROOEMIUM.

Quamvis in l. i. logices, ubi ratio & natura instrumento-  
rū, primæ mentis operationis directioni inservientium,  
cognosci & exponi solet, methodo, omnibus fere lo-  
gicis hodie usitatâ, tractatio de terminis simplicibus unice  
instituat, cum primæ mentis operationis actum simplicium  
tantum sine affirmatione & negatione apprehensivum com-  
munis Philosophorum vox rectissime pronunciet: ad termi-  
nos tamen re complexos, definitionem & divisionem puta,  
eandem non incommodè extendi posse, præter alios antiqui-  
ores & recentiores non obscure subinnuit Plur. Rever. & Ex-  
cell. Dn. D. Scharfius p. 804. Inst. Log. & p. 848. Prax. Termini,  
enim isti (ut taceam prædicamenta definitionum & divisionum  
fundamenta esse) complexi complexione quadam objectiva  
per EST explicativum, non desinunt esse simplices, declarante  
Scheiblero c. i. Topic. pag. 4. si cum terminis complexis com-  
plexione enuntiativa per EST copulativum conferantur, nec  
indolem primæ mentis operationis (cui non repugnat duos  
vel plures conceptus neglectâ affirmatione & negatione actu-  
ali, ibi latente, & posthabita plurium talium vel indefinitio-  
ne vel in divisione coalescentiæ consideratione, sub ratione u-  
nius conceptus simplicis tanquam simplicem rei explicatio-  
nem apprehendere, & sic implicitè suo modo de hac ipsa ju-  
dicare) evertunt. Nihil ergo novi alit & soli exponit hæc no-  
stra controversiarum Logicarum biga posterior, methodo ar-  
bitrariâ de definitione & divisione, contexta, & paucis hisce  
pagellis inclusa.

CONTROV. I.

*An rectè in Logica & quidem l. i. ultimo loco agatur de  
definitione & divisione?*

Varij variam assignant doctrinæ huic sedem. Quidam a-  
pud Fr. Suarez d. i. Met. sect. 4. n. 24. p. 17. & Scheiblerum p. m. 993. c.  
29. Topic. ad Metaphysicam eandem trahunt. *Heinr. Nicolai*



*Diatr. 6. G. L. th 3. illam à Logica alienam cuidam videri posse dicit, quod omnibus disciplinis & facultatibus definitiones & divisiones tractare competat. Ex illis verò, qui logicæ tractationi eam subjiciunt, quidam cum Ramo & Scheiblero, aliisq; in locis Topicis, quidam in fine Logices, ut fructum hujus, cum Dn. D. Scharfio & Gutkio, quidam in doctrina propositionis cum Fonseca, Hippio & c. quidam in l. i. vel ante omnes alios terminos cum Peronio, citante Scheiblero l. d. p. 697. vel ultimo loco post terminos affirmativos & negativos, cum Phil. Melanchtone, Regio, Heinv. Nicolai, eam tradunt. Nos loquentes de definitione & divisione. non materialiter, concretè & in actu exercito, (qua ratione in variis disciplinis, variis materiis applicantur) sed formaliter, abstractè & in actu signato consideratis, prout sunt organa discretioni veri à falso inservientia<sup>2</sup> de iisdem non totaliter (prout vel definitio complectitur, & definitum & terminos definientes, vel divisio dividendum cum singulis membris dividendis enuntiativè sociat) sed partialiter, & extra complexionem propositionis spectatis. 3. de iisdem absolutè & ut sic, non in respectu vel ad demonstrationem, & eyporiam (sic enim cum Bartholino, Bertiio ibi de definitione, hic de divisione agi posset) sumtis, ultimæ subscribimus sententiæ, & quæstionem affirmamus, quia Logicæ est organa talia fabricare, & ad usum præparare, nempe ibi, ubi commodissimum, quemadmodum h. l. in l. i. uti ex proæmio constat, & quidem ultimo loco, quia ex terminis simplicibus oriuntur, unde & à Ramistis aliàs orti vocantur. Intermittimus concedimus Methaphysicæ considerationis esse definitionem, quæ est Synonymum Grammaticum Entis, sub respectu ad nostrum intellectum habito, divisionem verò, quæ modis diversitatis, quibus Ens hoc ab altero distinctum est, explicare ad Metaphysicum spectat Vid. Philip. Melancht. l. i. dial. p. 87. Zabarell. l. 3. de Meth. c. 13. p. 251. & in l. 2. Post. c. 2 p. 1073. Lorinus sr. de def. sect. 1. quest. 1. part. 2. Corn. Mart. l. i. c. 10 p. com. Log. Kecker. l. 1. Log. sect. 2. c. 1. Timp. l. 2. Log. c. 8. quest. 4, Regius p. 533. disp. Log. licee  
bis*



*bic solam Melancht. auctoritatem prætendat Ifendoorn p 268. C. L.*  
*Scheibl. c. 1. Top. p. m. 4. Heint. Nicol. th. 9. disp. 6. G. L.*

*II. An definitio & divisio sint instrumenta Logica?*

Negat hoc de definitione, & consequenter de divisione Zabarella l. 4. de Meth. c. 21 p. 327. 329. 291. & alibi passim, cuius sententia & Regio placet p. 554. disp. Log. atq; Crellio p. 572. Log. quia omne instrumentum cum discursu conjunctum putant, quale solus syllogismus, unde etiam Hippus quæst. 19. Log. contra recentiores inquit, an solus syllogismus sit instrumentum logicum. Nos instrumentum logicum illud vocantes, quo dirigitur aliqua ex tribus mentis nostræ operationibus, definitionem & divisionem instrumenta logica esse probamus 1. quia per ea, dextrè accepta, prima mentis nostræ operatio (fatente ipso Crellio l. d.) rerum quidditates simpliciter apprehendens dirigitur, licet de divisione hoc neget Ifendoorn p. 328. C. L. cum aliis. 2. quia quicquid logicæ considerationis est, habet rationem instrumenti, cum tota logica sit disciplina instrumentalis. Zabarella & Regius nituntur falsa hypothese, quasi omne instrumentum logicum debeat unum ex alio colligere: hoc enim non est de formali ratione instrumenti logici in communi; sed primarij seu dianoetici, nempe syllogismi. Regius definitionem & divisionem finem instrumentorum logicorum vocans vel ad minimum à demonstratione non distingvi affirmans, committit petitionem principij. Interim concedimus per definitionem & divisionem, veritatem non tam perfecte inquiri posse, ut animus noster acquiescat, & ἀμείλιτος reddatur. Hoc enim solius syllogismi & imprimis demonstrativi privilegium est. Illis, qui definitionem & divisionem primæ mentis operationis instrumenta esse negant, largimur. 1. primam mentis operationem in definiendo inter definitionem & definitum, in dividendo inter divisum & membra dividenda comparationem quandam instituire; sed hanc tantum apprehensivam esse dicimus, non enuntiativam. 2. divisionem qua actus nostri intellectus enuntiativus est, prædicatum





dissentaneum à subjecto disjungens secundam mentis operationem tantum dirigere: sed negamus divisionem, quæ distinctam rei secundum partes cognitionem exhibet & quæ huius loci est, cum eadem coincidere. *Vid. Hippus l.d. Isendoorn p.268. & l. supra cit. Burgersdicius p.152. Heerbord. p.151. Instit. Log.*

III. *An doctrina de definitione rectè præmittatur doctrina de divisione?*

Negant & invertunt hunc ordinem cum *Ramo & huius affectis Scheiblerus, Fonseca, alii, quò & inclinat Regius p.534. disp. log.* Nos doctrinam istam non ratione materiæ certæ in hac vel illa disciplina (ubi illam inversionem ob certas rationes non omninò improbamus) sed ratione modi proponendi formalis logici considerantes, illam huic rectè præmitti asserimus, quia modus definiendi prior est modo dividendi, cum semper prius rei quidditatem quàm varietatem, (quæ posteriori loco intellectui objicitur) indagemus. Cæterum Scheiblerus falsa nititur hypothesisi, quasi illud ubiq; primo loco ponendum sit, 1. quod nos quandoq; deducit in cognitionem alterius, cum tamen à posteriori per certa propria multorum subjectorum cognoscamus naturam & definitionem, quæ nihilominus ipse Scheiblerus priori, uti illa posteriori loco explicat c.8. Topic. p.28. 2. quod simplicius est, cum alia ratio sit ordinis naturæ alia doctrinæ. *Vid. Dn.D. Scharf l.1. Gutk. l.2. syn. Log part. 2. c.2. Keckerm. l.d. s.2. Alsted. in Log. Harm. Heinr. Nicol. tb. 13. disp. 6. G.L. & in Log. contr. p.35. Dütrieu p.134. Man. Log.*

IV. *Quid sit definitio.*

*Scheiblerus* describit eam, quod sit argumentum, explicans rem conversim. *Regius cum Themistio*, nominis & rei definitionem conjungens, generalem hanc tradit descriptionem illius, quod sit vox, vel oratio, naturam vel significationem rei declarans. Nos, præsupponentes præter supra dicta. 1. minimè absurdum esse definitionem formaliter & in actu signato defini, de quo *Vid. Isendoorn p.265. Curs. Log.* 2. illud requisitum, quod in definitione nihil abundare debeat 3. quæri de definitione

tione



ratione non latè, prout abstrahit à definitione nominis & rei; sed strictè tali, & potissimum essentiali, definitionem dicimus esse terminum complexum, rei quidditatem explicantem. In qua descriptione conceptus latior est terminus complexus. Definitio n. non est simplex quid ut genus & species, sed complexum, quod duas res intellectui simul objicit velut unum quid complexione objectiva, ut animal rationale &c. strictior verò est, quod explicet, sive exprimat (nam nulla inter has voces quoad significat. est differentia, utiquidem videtur in disp. Eustach. à S. Paulo p. 99. phil.) creato nempe intellectui, rei quidditatè sive essentiam, ut nihil ad quidditatem definiti pertinens omittat, unde ex Thomal. de interpret. lect. 4. & Oveno Gunthero, Regius p. 534. ex Damasceno Scheiblerus p. 699. & ex Aristotele Isendoorn p. 267. l. d. rectè colligunt, definitionem propterea terminum appellari quia rem totaliter & adæquatè includit, ita ut nihil rei sit extra definitionem illam, cui definitio non conveniat, & nihil sive nulla pars sit intra, cui soli seorsim illa competat. Descriptio Scheibleri contra secundum præsuppositum peccat, (quia non opus est addere vocem conversim, cum hæc in phrasi rem explicare includatur, quod ipse etiam agnoscit loco dicto) Regij, quem Dom. Bannes sequitur p. 227. Instit. Dial. contra tertium, & præterea malè definitionem, etiam rei, per unicam vocem describit, dum ad verborum sonum, & numerum, non sensum & significatum respicit, ratione cujus etiam definitio partialiter sumpta, & definito contra distincta, de qua ille ibi loquitur, à parte sui semper pluribus constet partibus, quæ licet unica sæpe efferantur voce, hæc tamen si sensum spectes, semper pluribus æquipollet. Cæterum concedimus definitionem totaliter sumptam, & divisionem in forma disjunctivæ propositionis prolatam, rectè describi per orationem, perfectam scil. Nam alias juxta Scheibl. p. 727. l. d. definitio partialiter etiam sumpta posset dici oratio, nempe imperfecta. Vid. B. Jac. Mart p. 671. Log. Dn. D. Scharf. l. d. Arriaga p. 20. disp. 3. in summ. Eustachius à S. Paulo p. 99. Phil. Dütrieu p. 135. man.



*man. Mendoza p.167 disp.10. Log. B. Spei p.23. Log. Ifendoorn p.266.  
Philip. de SS. Trin. p.228. Scheibl. p.711. l.d. & p.699.*

*V. Quomodo Definitum differat à Definit?*

*Mendoza disp. Log. sect. 3. p.170. pro convenientia omni moda  
eorundem intricatè satis disputat, & cognitionem definiti ac  
definitionis clare atq; distinctè genus & differentiam objecti  
attingere affirmat, licet infrà certo definito, quale domus, tan-  
tum cognitionem claram inadæquatam, definitioni verò ejus-  
dem adæquatam adscribat, propter partium ex quibus illa  
componitur, pluralitatem. Nos distingventes inter defini-  
tum & definitionem prout sunt termini logici: & prout cer-  
tam rem significant, priori modo cum *Fr. bone spei p.23. Log.*  
formaliter (non realiter, *uti Scheiblero videtur p.726. Topic*) dif-  
ferre eadem dicimus, quia descriptio definitionis formalis  
non competit definito; posteriori verò, ratione tantum, seu  
modo essentiam significandi, qui in definito obscurior, in  
definitione clarior. Definitum enim rei quidditatem signifi-  
cat confuse & tanquam totum, unde & totum dicitur definibile;  
definitio verò eam explicat per partes, quibus definitum  
seu totum constituitur, quod ex inductione exemplorum fa-  
cile patet. Cæterum Mendoza falsam fovet hypothèsin, qua-  
si definitum Homo distinctè cognoscatur, si concipiatur di-  
stinctus à non homine. Hæc enim distincta hominis cog-  
nitio, quam jactat, confusa rectius dicitur, cum valdè confu-  
sus & imperfectus hominis ille conceptus sit, fatente *Arriaga p.*  
*21. disp. 3. Log.* Hinc ut perfectus & distinctus red datur, necesse  
est ut accedat cognitio partium hominis essentialium, quas so-  
la definitio essentialis conjunctim exhibet. Frustrà verò ille ex-  
cipit quod homo non distingvatur à non homine nisi per ra-  
tionalitatem, quæ genus suum quod contrahit, involvat, un-  
de clara hominis resultat cognitio. Antecedens enim est me-  
ra petitio principij. *Vid. Scheibl. p.726. Topic. Ifend. p.266. C.L. Arri-  
aga, Bona Spei l.d. 7. Mart p.67. Inst. Log. Bannes p.227. dial. alij, re-  
quisita definitionis illa: definitum & definitio debent reciprocari,  
Definitio debet esse notior definito, explicantes.**

*VI. An*



VI. An Definitio constare debeat omnibus generibus, & differentiis, superioribus & inferioribus?

Fr. B. Spei disp. Log. dub. 1. p. 23. causam, cur definitio non debeat omni modè atq; tam perfectè ac potest, naturam rei explicare, reddit hanc, quia definitio aliàs deberet omnia genera superiora explicitè continere, quod nimis prolixum foret. Nos, præsupponentes definitionis brevitatem sectandi studium, asserto illius opponimus. quod repetitio talis inanis & superflua sit, cum omnis definitio constans genere proximo seu infimo rei definiendæ, & differentiâ ultimâ seu specifica, omnia superiora genera, omnesq; differentias superiores includat. 2. regulam A verrois in epit. in l. 2. Post. Anal. c. 1. hancce: si divisio generis remotioris fit, & genus proximum nomen habet, id est, unum aliquod vocabulum quo effertur, illud in definitione est assumendum; sin verò minus, definitio vocabuli illius, id est, omnia superiora membra, aut plurima eorum, loco generis sumantur, quibus deniq; differentia specifica adjiciatur. Interim concedimus ad perfectam essentiæ cognitionem non parum facere generis proximi (e. g. animalis in definitione hominis) perfectam & definitivam cognitionem, quæ tamen aliunde cognita præsupponitur, non verò ipsi definitioni rei superflue immiscetur. Vid. Isendoorn p. 328. C. L. Regius p. 549. disp. log. alij explicantes viam definitionem inveniendi divisi-  
vam supra citati

VII. Quotuplex sit Definitio?

Definitionis varietatem omnes agnoscunt, sed non omnes rite determinant. Zabarella l. 4. de Metb. c. 14 p. 307. Definitionem aliam nominis aliam rei esse quidem concedit; sed minus accuratè unam ab altera distinguit, demonstrante Regio p. 536. disp. Log. qui tamen Crellio Lib. 1. de demonstr. c. 10. p. m. 568. idem finistre videtur tribuere. Piscator in cap. 25. l. 1. Log. Rami, definitionem essentialem à causali diversam esse negat. Damascenus citante Scheiblero l. d. Blemmides citante Jac. Mart. p. 682. Instit. log. Bannes p. 228. dial. Fons cap. 215. Dial. definitio-

B

nem



nem descriptivam, seu mistam ex definitione perfecta & imperfecta, introducunt. Alij aliter hanc rem expediunt, uti vel ex Regio p. 540. apparet. Nos, missa illa distinctione definitionis in nominalem & realem, quæ magis Grammatica quam Logica, aliam dicimus perfectam, (essentialem seu quidditativam) quæ explicat naturam rei per ea quæ sunt ipsi essentialia quæ vel Physica, explicans rem per partes essentielles Physicas s. per materiam & formam, Vel Logica, quæ rem per partes, essentielles Logicas explicat, sive per genus & differentiam quas alij quoq; partes Metaphys. vocant, quia uti Arriag l. d. explicat à nobis concipiuntur, ac si essent à parte rei distinctæ, licet non sint, unde ipsa quoq; Metaphysica audit definitio: Aliã imperfectam, quæ essentialiam rei aliquo modo tantum, sive per ea, quæ ipsi non sunt essentialia, exprimit, quæ vel descriptiva seu accidentalis, explicans rem per accidentalia, s. extra essentialia, vel causalis, explicans rem per causas externas, efficientem scilicet & finalem. Et in his definitionis divisionibus acquiescimus, quia nullam dari putamus, quæ non ad aliquam ex his referri possit. Cæterum Zabarella definitionem nominalem cum descriptione reali sive definitione imperfecta confundenti concedimus, nominalem sæpè naturam rei ex parte exprimere, quod tamen fit per accidens, & præter intentionem rei nomen tantum declarantis. Piscator ludit saltem in terminis, dum causalem descriptionem etiam ad causas internas extendit, quæ tamen acceptio repugnat communi usui, præsertim Aristotelis. Definitio descriptiva, qualis hæc hominis, animal rationale, disciplinæ capax, rectius refertur ad definitionem imperfectam à Scheiblero, Heinr. Nicol. &c. (quicquid etiam Fonseca loco dicto contra disputet) quia superflua continet; quam ut peculiaris dicatur definitionis species. *Vld. Jac. Mart p. 675. Instit. log. Wegerus c. 23. sect. 2. log. Isendoorn p. 263. curs. log. Eustach. à S. Paulo p. 99. Phil. philip. de SS Trin. p. 224. Phil. Arriaga l. cit. Mendoza p. 173. B. Spei p. 23. l. c. Regius p. 539. l. d.*

VIII. An



VIII. An infra prædicamentalia & Transcendentia  
perfectè definiri possint?

Infra prædicamentalia, qualia sunt privationes, negationes, entia concreta, aggregata, entia rationis &c. definitionis perfectæ & propriæ incapacia esse communis logicorum sententia est. Ex Transcendentium classe verò Deum perfectè conatur definire *Mendoza* §. 4. sect. 2. disp. 10. cum *Arriaga* p. 20. disp. 3. in summ. qui & cum *Fr. B. Spei* & *Timplero* *Ens* definiri posse, mordicus defendit. Horum partibus accedunt omnes illi, qui vel affirmant Deo non repugnare genus logicum cum *Calvini*anis, vel eundem cum aliis in *Biga* prima controv. notatis in prædicamento substant. aliisq; ponunt. Nos loquentes de perfecta definitione quæ requisita definitionis communiter recepta & infra enumeranda admittit, & præsuppositis, circa extra prædicamentalitatem Dei l.e. dictis, negamus Deum vel ratione nostri vel sui (quod posterius etiam *Heerboord* p. 159. Log. assumit) aut *Ens* ut sic perfectè definiri posse. quia carent requisitis definiti in perfecta definitione, qualia sunt inter alia prædicamentalitas, esse speciem &c. 2. quia Deo repugnat compositio ex genere & differentia, & per consequens ipsi etiam *Enti* &c. *Arriaga*, *B. Spei*, falsa nituntur hypothesi, quia qualecunq; prædicatum superius & prædicatum rem ab alio distinguens ad definitionem & quidem perfectam (uti ex *Arriaga* patet) sufficere putant. Quæ de definitione *Entis* hinc moneri possent, relinquimus *Metaphysicis*, qui ineptias *Timpleri* *Ens* per aliquid definiens, (quas etiam suas faciunt *Arriaga* & *B. Spei* l. d. substituentes tò *ID* quod amplius definiri non possit) hinc inde perstringunt. *Vid. Jac. Mart.* p. 674. *Instit.* *Scheibl.* p. 709. 724. seqq. *Regius* p. 546. l. d. *Isendoorn* p. 273. *Nicolai th.* 21. disp. 6. G. L. alij.

IX. An sola species perfectè definiantur?

*Mendoza* p. 169. l. d. substantialem & *Physicè* atq; *Metaphysicè* essentialem individuis assignat definitionem, addens; Individua si perfectè in hac vita penetrari possent, perfectissimè defi-



niri posse, quibus ipsis verbis etiam *Dank p. 182. Epit. utitur. Arriaga l. cit.* in rigore eadem definibilia esse asseverat, cum *Antonio Andrea à Scheiblero p. 705. citato*; per quam hypothesein quaestio simpliciter negatur. Nos loquentes 1. de speciebus & subalternis (quæ à generibus subalternis non nisi per diversam relationem rationis differunt) & potissimum specialissimis, non analogis. 2. de definitione perfecta è genere & differentia propriè sic dictis constante cum *Aristot. ex 7. Metaph. c. 4.* solas has perfectè definiri probamus, 1. remotivè, quia nec genera generalissima (quæ supra se nullum genus habent) nec differentia (quæ collateraliter tantùm in prædicamentis & in completa Entia sunt) nec individua, sive ratione sui, seu nostri considerentur, sive etiam ut æterna cogitentur & intimè penerentur, quia differentia essentiali destituuntur. 2. positivè, quia differentia & genera assignari possunt tantùm speciebus, præsertim ultimis. *Mendoza l. d. 1. valdè ambiguè loquitur: substantialis enim definitio substantia singularis non universalis; ut & Physicè atq; Metaphysicè essentialis individuis, quatenus certæ speciei subordinantur, conceditur, non verò quæ talia, & prout secum invicem conferuntur, quo modo tamen hoc loco considerari debent.* 2. malè perfectissimam putat descriptionem illam, quæ nulli est communis, & objecto perfectissimè terminos figit, nisi per genus & differentiam specificam hanc circumscriptionem fieri debere concedat. Interim concedimus definiri posse singularia, 1. in sensu Aristotelico l. 2. post. c. 15. in quo per illa intelliguntur minus universalia, 2. formaliter & in actu signato non verò in actu exercito sumpta, *Vid. Bannes p. 239. dial. 1. sendoorn. p. 272. C. L. Regius p. 544. Scheibl. p. 704. qui plures citat. Fonsca p. 226. Dial.*

*X. An accidentia aequè perfecta definitione definiantur atq; substantia?*

*Arriaga p. 20. disp. 3. summ. & Mendoza l. d. accidentia etiam simpliciter (quod Aristoteles de substantiis l. 7. Metaph. c. 4. 5. tantum affirmat) definiri posse, absolutè, & sine omni limitatione*

onis



onis temperie asserunt, Aristotelis atq; Thomæ autoritatem in hoc puncto non magni facientes. Sic & *Eustachius à S. Paulo p. 102.* accidentia in abstracto essentialiter defini affirmat & Aristotelis verba de accidentibus in concreto explicat. Nos de accidentibus in abstracto, prout in serie prædicamentali disponuntur, loquentes, distingvimus inter illorum definitionem in se se; & comparative, prout cum definitione substantiarum confertur, consideratam. Illo modo eadem perfecta satis est, ipsorumq; essentiam per partes essentielles, genus & differentiam explicat, ut ex accidentium variorum descriptione manifestum est: si verò inter hanc & substantiarum definitionem comparatio instituat, æquè perfectam esse negamus, & gradualem quandam differentiam agnoscimus, quemadmodum alias essentia accidentium secundariò talis & minus perfecta dicitur, quia cum in hærentia & dependentia à subjecto conjuncta est. Interim concedimus accidentia multa, absolutè considerata, non facta mentione subjecti inhærentiæ defini posse; sed negamus inhærentiam, quæ est formalis ratio omnis accidentis, à quoquam ita abstrahi posse, ut ne implicitè quidem in definito includatur. 2. agnoscimus varietatem definiendi accidentia, prout sunt vel communia vel propria vel absoluta vel relata &c. & cum *Burgersdicio p. 159. Inst. log.* modum definiendi accidentia communia vix regulis certis comprehendere posse fatemur. *Vid. Jac. Mart. p. 65. Pædia & p. 629. 680. Instit. Zabarella p. 306. l. 4. de meth. c. 14. & p. 1187. in l. 2. Post. Isendoorn p. 273. C. L. Bannes p. 243. dial. Scheibl. p. 702. 717. Topic. Regius p. 545. Eislerus in Methodol. partic. p. 60. seqq.*

XI. *Quanam sint perfecta definitionis requisita?*

Hæc requisita, uti ab Aristotelis interpretibus & imprimis Scheiblero & Regio enumerantur, non admittere possunt Arriaga & Mendoza salvis suis hypothefibus supra discussis. *Mendoza p. 172.* quædam eorundem, nimis illi mitata, inculcat. *Philip. de SS Trin. p. 224. l. d.* leges definitionis perfectæ & imperfectæ confundit, dum omnem definitionem ex genere & dif-



ferentia vel aliquo illorum vices sustinente, constare tradit. Nos brevitati studentes, & de definitione absolutissima & perfectissima loquentes, potiora definiti requisita dicimus hæc: 1. essentialitatem 2. unitatem (qualis aliàs datur in uno per se composito, ad quod & angeli suo modo spectant) 3. prædicamentalitatem 4. ejusmodi habilitatem, ut compositionem ex genere & differentia non respuat &c definitionis verò sequentia: 1. claritatem, 2. brevitatem, 3. proprietatem, 4. ejus cum definito reciprocationem & adæquationem, 5. ejusdem de definito affirmationem &c. Interim concedimus pleraq; horum variis limitationibus esse obnoxia, quas in loco negligere maxime ob est. *Vid. Jac. Mart. p. 661. Pad. 5 p. 672. 918. 924. 933. Inst. Arriaga. p. 21. l. d. Philip. de SS. Trin. p. 224. Crellius p. 649. Fr. B. Spei p. 23. disp. 6. Log. Burgersdic. p. 155. Inst. Heerb. p. 354. Instit. Log.*

XII. *Quanam sit optima definitionem inveniendi via?*

Duplicem esse viam definitionis partes, genus & differentiam indagandi, divisivam Platonis, & compositivam Aristotelis, ex ipso Aristotele & Autoribus citatis satis constat. Divisivæ autem compositivam Aristoteles præfert, quam *Zabarella p. 1190.* describit, quod sit nihil aliud quam congregatio seu compositio prædicatorum essentialium, competentium in inferioribus omnibus, quæ sub illo communi, quod definire volumus, continentur. *Scheiblerus p. 723. Topic.* censet, nec satis esse viam compositivam, nec divisivam (quam dicit p. 719. quando sumimus aliquod remotum genus ejus rei, quam definire volumus, & illud tam diu dividimus, donec offendamus differentiam specificam, genus proximum simul monstrantem) ad definiendum; sed utramq; in definiendo jungendam esse. Nos facilitatis & Naturæ definitionis, ad primam mentis operationem pertinentis, rationem habentes divisivam compositivæ ante ferimus, quia illa non conjuncta est cum tali illatione & ratiocinatione, uti compositiva, fatente Scheiblero l. d. Quomodo verò illa tenenda & ad usum transferenda prolixè per varia exempla perspicuè docent autores, imprimis

mis



mis *Zaborellap* 1100. *Jac. Mart* p. 645. *Pæd.* Scheibleri placitum nullo nititur fundamento cum per viam divisivam perfecta rei alicujus possit erui definitio, licet cum compositiva non jungatur. Cæterum concedimus prudentia & circum spectione maximâ hic opus esse, ne res diversorum prædicamentorum aut etiam ejusdem inter se confundantur, vel essentialia cum extra essentialibus incautè misceantur. *Vid. Zab. p. 1198. in l. 2. Eust. p. 104. Reg. p. 548. 533. Ban. p. 233. Fonseca p. 219. Scheibl. p. 723. l. d. alijs.*

### XIII. Quid sit Divisio?

*Fonseca* eandem describit, quod sit oratio, quæ totum in suas partes distingvit, quam *Regius* p. 566. ita explicat, ut divisionem nominis simul includat. *Mendozæ* p. 173. l. d. est conceptus manifestans objecti essentiam per partes. Nos missa divisione nominali, seu distinctione æqui voci in sua æquivocata, realem divisionem dicimus esse terminum complexum Logice (non Grammaticæ nec Physicæ) totum (communius quæcumq;) in partes (sive in angustiora sub toto contenta) resolvens. In qua descriptione qui terminus latior, qui contractior, quo à definitione discernatur, facile patet. Bonitas ejusdem elucescit ex eo, quod omni divisioni reali accommodari possit, naturam que divisionis adæquatè explicet. *Mendozæ* descriptio 1. non attingit divisionis Logicè consideratæ naturam, cum eam non tanquam terminum Logicum præcisè, sed ut nostri intellectus actum consideret. 2. non convenit omni divisionis speciei quia non quadrat ad potentialem, quippe quæ fatente ipso p. 175. sect. 6. disp. 10. non explicat essentiam divisi seu objecti sui; non exprimit formale officium divisionis quod est multipliciter objecti monstrare non verò essentiam ejusdem explicare. *Vid. Arriaga B. Spei l. d. Bannes p. 220. Dütrieu p. 141. Man. L. Heine. Nicol. thes. 32. disp. 6. G. L.*

### XIII. Quomodo divisio differat à definitione?

*Arriaga* p. 22. *Mendozæ* p. 174. *Fr. B. Spei* p. 24. l. d.; quibus suffragatur *Isendoorn* p. 37. C. L. loquentes de toto actuali (ratione enim potentialis seu univertsalis ea differre concedunt) nullam inter illa admittunt differentiam. Nos, loquentes 1. de defi-



definitione & divisione logicè consideratis 2. de divisione etiam totius actualis, divisionem à definitione formaliter differre dicamus 1. quia sunt diversa instrumenta & diversi modi sciendi, uti loquantur, per contrav. tertiam 2. quia in divisione totius etiam actualis non intenditur cognitio essentiæ rei, & partium illam constituentium; sed illius multiplici- tatis & partium totum resolventium. Cæterum concedimus ex parte objecti & rei in divisione totius actualis e.g. Petri, quando hujus alia pars dicitur esse animal, alia rationalitas, non differre à definitione ejusdem, sed negamus intellectum (quod vult Mendoza & Isendoorn) eodem modo circa idem objectum versari vel eundem modum formalem Logicum rem cognoscendi observari. Arriaga l. d. frustra asserit 1. cognitionem explicitam partium esse eandem in divisione totius actualis; quia ibi cognoscuntur prout essentiam componunt, atq; ad totius constitutionem uniuntur; hinc verò, quatenus eandem dividunt & ad ostendendam illius multiplici- tatem beneficio intellectus nostri divelluntur 2. in divisione non cognosci unam partem sine alia, sed simul, cum tamen ibi partes cognoscantur ut membra totum dividenda, quæ tanq. distincta concipi debent. *Vid. Philip. de SS. Trin. p. 235. Phil. & supra citati, qui ne verbulo illam differentiam impugnant.*

*XV. Quotuplex sit divisio!*

Modos divisionis hinc inde invenite licet varios uti vel *Scheibleri & Regij scripta* docent. *Piscator* negat divisionem essentialem ab integrali distinctam esse, *ad l. 1. Ramii c. 25.* Nos, de potissimis divisionum generibus loquentes, aliam dicimus perfectam, sive totius per se, quæ vel potentialis, quæ totum universale seu potentiale dividitur in partes subjectivas, quas non actu & in se, sed potestate & sub se continet: vel actualis qua totam dividitur in partes, è quibus actu componitur, & quidem vel essentialis, si totum essentialis est, vel integralis, si totum integrale seu quantitativum est: aliam imperfectam sive totius per accidens, quando vel subjectum in accidentia, vel acci-



accidentia in subjecta sua dividuntur. Harum divisionum Divisionis sufficientiam probamus, quia nullam quæ non ad aliquam ex his reduci posset, dari putamus. Piscator abutitur tantum terminis, essentielle, & integrale, qui abusus evanescit, si dicatur, totum essenziale dici ratione partium essentialiter constituentium, sine quibus essentia rei salva esse nequit: totum integrale verò respectu partium materiæ, & corporis, quæ conceptum essentiæ alicujus rei non ingrediuntur. *Vid. Mendozap. 173. 175. l. d. Bannes. Nicolai. Dütrieu l. c. Philip. de SS. Trin p. 22. Weigerus c. 24. l. c.*

*XVI. An divisiones Accidentis in accidentia, & substantia in accidentia constituent peculiare divisionis species?*

Prius affirmant *Arriaga p. 21. Bannes p. 111. Dütrieu p. 143. Isend. p. 326. Crellius p. 365.* posterius Damascenus *c. 7. dial. citante Scheiblerop. 682.* Nos à multiplicatione specierum divisionis citra necessitatem abhorrentes, quæstionis negativam sententiam amplectimur, quia nihil obstat, quò minus utraq; illa species reducat ad divisionem subjecti in accidentia. Interim notamus vocem subjecti in divisione, ad quam reducuntur illæ duæ, latius sumendam esse, prout non tantum substantiæ, sed & accidenti, illi primario, huic secundo, competere potest. Quamvis enim *Isendoorn l. d.* asserat totum in divisione subjecti in accidentia tantum substantiam esse, gratis tamen hoc ab ipso affertur, cum non implicet accidens esse in altero tanquam in subjecto propinquo, juxta *Durandum in 1. sent. dist. 8. quæst. 4. & Svarez d. 13. Metaph. lect. 4.* licet aliàs accidentis non sit accidens tanquam subjectum illi ultimum juxta vulgatum canonem. *Vid. Stabl. p. 404. R. Ph. Scheibl. l. d. Rcg. p. 561. Ph. de SS. Trin. p. 226. Phil.* qui tamen non abs re monet, divisionem accidentis in accidentia sæpè etiam ad potentialem divisionem reduci posse, quando nempe divisum est de essentia dividendum, ut, cum coloratum aliud album, aliud nigrum esse dicitur.

*XVII. Ad quodnam divisionis genus pertineant divisiones generis in differentias & communioris differentia in minus communes?*

C

Bati-



*Boetius citante Fonseca p. 190. Instit Dial. primam, & Owenus Güntherus citante Regius p. 506. disp. primam & secundam divisionem, planè rejiciunt. Regius easdem admodos divisionis per accidens cum aliis refert. Nos loquentes de differentiis concretivè sumtis (nam de abstractivè talibus Phil. de SS. Trin. rectè asserit, Genus in easdem propriè non dividi, sed per easdem in species suas) divisiones illas addivisionem totius per se & quidè potentialis reducimus 1. quia divisio generis in differentias suas divisivas concretivè sumtas parùm differt à distinctione generis in suas species. 2. quia differentia communior concretivè sumta (docente Scheiblero p. 680. Topic.) genus significat, & sic, si differentia specialiores etiam concretivè sumantur cum ipsa divisione generis in species pari passu ambulat. Autores nobis adversantes loquuntur de differentiis abstractivè sumtis, in quibus genus non includitur, uti docet Masio sect. 2. q. 6. de genere p. 112. Interim concedimus, sæpè in divisione generis in suas differentias nomina differentiarum ad hiberi cum nempè speciebus nomina imposita non sunt, ut, quando animalium aliud dicitur reptile, aliud volatile. 2. differentias non esse partes generis, si abstractivè sumantur, (quia sic extra essentialiter illud respiciunt) tamen si concretivè accipiantur, partes generis potentiales, per quas genus essentialiter contrahibile est, esse affirmamus. Vid. Isendoorn p. 325. Bannes p. 212. l. d. Regius, qui nobiscum sentientum rationes adducit l. d. Scheiblerus. Philippus de SS. Trin. p. 226. l. d. Fonseca & c.*

*XVIII. Quanam sint legitima perfecta divisionis requisita?*

*Fr. B. Spei p. 23. l. d. plurima sed omissis necessariis limitationibus adducit. Bannes p. 217. requisitum illud, quod divisio debeat esse bimebris, quod rigorosè nimis urgent Ramistæ, admodum extenuat. Nos de jure non de facto loquentes requisita divisi seu dividendi potius (uti monet Isendoorn) potissima adducimus hæc: 1. ut sit totum quid. 2. ut sit ex partibus compositum. 3. unum. 4. plus continens quàm singula membra separatim sumta &c. Divisionis verò sequentia, 1. adæquationem cum*



cum toto. 2. consensionem cum toto. 3. partium oppositionem  
4. harum immediationem 5. illorum paucitatem Harum re-  
gularum observatio cuique accuratum dividendi modum af-  
fectanti commendata esse debet, cæteris tamen paribus, & ob-  
servatis observandis, de quibus conferantur *Fonseca p. 194. Ar-  
riaga. Bannes. Philippus de SS. Trinit. l. d. Dütrieu p. 144. Isend. p.  
326. 220. Burgersdicius p. 167. Heerboord p. 165. Scheibl. p. 684. l. d.*

XIX. *An eodem jure, quo de definitione & divisione,  
agatur de methodo in l. 1. Log.?*

*Philippus Melancton*, quem Regius nulla ratione motus, ex  
arbitrio suo sequitur, doctrinam de methodo immediatè sub-  
jungit doctrinæ de definitione & divisione. Nos, qui metho-  
dum describimus, quod sit instrumentum Logicum, congruen-  
ter ad modum cognoscendi nostrum, vel disponendi unum  
post aliud, vel disposita resolvendi &c. ad faciliorem & distin-  
ctiorem rerum cognitionem, negamus methodum hîc explica-  
ri posse, quia ad instrumenta tertiam mentis operationem diri-  
gentia spectat & per consequens naturâ postrema est è medi-  
is Logicæ, in l. 3. partis Generalis (uti Logica à nostratibus di-  
viditur) ultimo loco explicanda, de quo alibi, Ratio à Regio  
p. 533. adducta, quod de methodo in l. 1. agatur, quia prædica-  
menta (in quibus doceatur quomodo à supremis ordine natu-  
rali & artificioso ad infirma usq; & specialissima sit progredien-  
dum, tum etiã contrario modo procedendum, nimirum à spe-  
cialissimis ad suprema) adeam multum conferant, non stringit,  
quia loquitur de methodi observatione in prædicamentis à Me-  
taphysico directè explicanda, non de methodi secundam natu-  
ram & varietatem suam explicatione. Cæterum concedimus  
primæ mentis operationi, sicut & secundæ suo modo locum  
relinqui, quemadmodum alias in syllogismo secundum prin-  
cipia sua materialia vel proxima vel remota considerato. *Vid.  
imprimis Plur. Rev. & Excellent. Dn. D. Calovius in Methodol. p. 589.  
& seq. Heinr. Nicol. diss. 16. G. L. qui plurimos autores in l. 3. part.  
Gen. Log. eam tractantes citat.*

XX. *An*



*XX. An ex doctrina de definitione & divisione fluat peculiaris methodus definitiva & divisiva?*

Ita multis, contra quos Zabarella, Regius, Henricus Nicolai in G.L. alij, prolixè disputant, videtur. Nos, de natura definitionis & divisionis certi, negamus vel definitionem vel divisionem methodi rationem habere, quia methodus habet necessitatem illationis & est argumentativa, non verò definitio & divisio, quippe quorum instrumentorum neutrum eam formam, quæ in omni methodo requiritur, sustinet. Interim concedimus in methodo præsertim docendi & discendi definitionum & divisionum magnam esse utilitatem; sed negamus methodum exinde vel definitivam vel divisivam dici posse. *Vid. Zabarella l. 1. meth. c. 1. & seq. l. 3. c. 7. Regius p. 573. Danb. p. 168. Epit. Henr. Nicol. thes. 20. disp. 16. G.L. alij.*

SOLI DEO GLORIA.

---

**Q**uando tua suadet, RITTE RE, industria menti,  
Ut scandas nostræ pulpita docta Scholæ.  
Sat contestaris, conando singula vinci,  
Acquiri contra, hoc deficiente, nihil.  
Approbat hunc ausum patria gens incola terra,  
Et tua stirps letis excipit Ominibus.  
Si pede non segni stadium sic currere pergis,  
Tempora justa tibi commoda larga ferent.

*Sympatriote suo dilecto  
deproperab.*

Christianus Trentschius  
Prof. P.

FINIS.



Ung VI 73

ULB Halle

3


004 108 515











SIMO RECTÆ RA  
CTORE

M  
EM  
ARUM

LOGICAM  
DMPLEXIS.

camini

S Baumann/  
lectoral.

ENS  
S Ritter

M DC LVIII.

is  
inori.

GÆ  
is Borckardi.

